

nis, quæ falso nititur fundamento. *Affirmant* tamen aliqui. Ratio eorum est, quia, aiunt, simulata donatio non fuit causa, sed mera occasio doni quod retributum fuit. — In præxi autem suadendum est ut non fiat restitutio per simulatam donationem, nisi gravis ratio urgeat, ob difficultates quæ subsequi possint, ratione donorum quæ rependerentur.

R. ad 4^m Quæst. Ex dictis DIDACUS *probabiliter* debitis suis satisfacit; proinde SIDONIUS omnino injuste ad occultam compensationem recurrit, et ipse vice sua restituere debet: attamen, ut DIDACUS censeatur debitis satisfacisse, dona quæ creditori tribuit talis generis esse debent, ut veram utilitatem ipsi afferant, et debitum vere compensent.

CASUS VII.

RETRIBUTIO SPIRITUALIS.

MORINUS, Confessarius, inducere solet pœnitentes restitutionis obnoxios, ut Missas pro creditoribus celebrari curent. Etenim, ait, si defuncti sint, melius sic directe eis restituitur, cum ipsis tali modo prodesse possit restitutio, et sæpius ab hæredibus crudeliter derelinquantur; si vero adhuc vivant, meliori modo eis satisfacit, nempe potius bona spiritualia quam temporalia retribuendo.

HINC :

QUER. 1^o *An restitutio fieri possit per Missas?*

2^o *An MORINUS, Confessarius, contra justitiam peccaverit, et ad restitutionem teneatur?*

SOLUTIO :

710. — *R. ad 1^m Quæst. Dist.* Si dominus cognoscatur vel inveniri possit, *nego*; quia nulla est ratio ut ipsi restitutio non fiat. Proinde talis restitutio non valet, et iterum est restituendum. — *Affirmo* vero, si dominus sit incognitus, neque cognoscantur ejus hæredes; quia tunc debitum in pium opus impendi potest, imo et debet, si ex delicto ortum sit.

711. — *R. ad 2^m Quæst.* Doctrina MORINI, Confessarii, non fuit secundum *scientiam et discretionem*, cum absque distinctione induxerit pœnitentes ut per Missas debitis satisfacerent. Debuit igitur inducere debitores ad dominos læsos sedulius inquirendos; nec potuit hæredes cognitos præmittere, præsertim, si sint hæredes necessarii, ut filii, etc. *Per se* igitur Confessarius ille indoctus et imprudens peccavit graviter contra justitiam, atque ad restitutionem loco pœnitentis obligandus est. Postquam pluries restituerit, forte melius doctrinam tradendam tenebit.

CASUS VIII.

EXPENSÆ AD RESTITUENDUM.

HENRICUS restituere vellet mille nummos quos ARSENIO surripuit. Sed res ardua est. Etenim ARSENIUS habitat nunc in alia regione valde dissita, et HENRICUS magnas expensas facere debet ad debitum in locum hunc transferendum. Igitur eam pecuniam pauperibus distribuit.

HINC :

QUER. 1^o *An, vel quænam expensæ solvendæ excusare possent debitorem a restitutione ipsi domino faciendâ?*

2^o *Quid si agatur de debitis relative minutis?*

3^o *Quid de HENRICO statuendum? An iterum restituere debeat? Si a Confessario ignaro accepisset consilium erroneum restituendi pauperibus, an, detecto errore, adhuc restituere deberet?*

SOLUTIO :

712. — *R. ad 1^m Quæst.* Non clare constat; Theologi enim de hoc non conveniunt. Attamen regula sequens sat communiter traditur: si expensæ, quas facere deberes ad restituendum ipsi domino, essent plus quam duplo majores damno creditoris, sufficit ut restitutio fiat pauperibus, vel differatur, si spes sit ut difficultas restituendi domino cesset. Secus vero, si hanc proportionem non adæquent. Sed pro variis circumstantiis hæc regula erit modificanda. *Lugo*. — *S. Lig. n.* 598. — *Vogler, n.* 415, etc. — *V. Comp. n.* 710.

R. ad 2^m Quæst. Si agatur de minimis relative debitis, satis erit ea in pauperes refundere: v. g. si quinque francos missurus esses in Americam; vel si decem francos decem hæredibus distribuere deberes, etc...

713. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o HENRICUS male fecit, et *per se* ad restitutionem tenetur, non obstante solutione jam pauperibus facta. Debat enim interrogare, et rem tanti momenti per se ipsum solum non dirimere. Excusaretur tamen ab alia restitutione faciendâ, si enormes expensas facere debuisset ad dominum indemnem faciendum, erga ipsum debitum, ut modo dictum est.

2^o Si, suadente Confessario, pauperibus restituit indebite quidem, sed bona fide, in Confessarii decisione innixus, a restitutione eximendus est. Verum ejus loco restituere debet Confessarius, si hujus ignorantia fuerit graviter culpabilis. Si vero debitor non fuerit in bona fide constitutus, v. g. si noverit Confessarium esse indoctum, restituat ipse prior, et ejus defectu Confessarius.

CASUS IX.

CAUSÆ PER SE EXCUSANTES A RESTITUTIONE 1^o.

ANOLINUS, iter agendo per multos annos, dominis variis varia intulit damna. Surripuit uni 20 asses, alteri 3 fr., tertio 5 vel 10 fr., imo aliquando 20 fr. et amplius. Cum autem de his fuisset confessus, et a Confessario ad restitutionem obligatus esset, respondet se non posse sine æqualibus et forte majoribus expensis restitutionem peragere; deficere insuper media ad compensationem faciendam; se nescire omnium nomina, nec locum certum habitationis, neque si nunc adhuc vivant, vel etiam quinam, et quot sint eorum hæredes.

HINC :

QUER. 1^o *Quænam sint causæ excusantes a restitutione?*

QUÆR. 2° *An absolvi possit qui restitutionem ad aliud tempus absque necessitate remittit?*

3° *An ANOLINUS excusari possit a restitutione, saltem erga dominos læsos in allatis casibus?*

SOLUTIO :

714. — *R. ad 1^m Quæs.* Excusant ad tempus impotentia, sive physica sive moralis, quæ habetur quando restitutio fieri non potest absque incommodo valde gravi : v. g. si debitor deberet notabiliter decidere e statu suo juste acquisito, aut in gravem necessitatem incidere. Ratio autem quare excuset magna difficultas, est, quia in moralibus dicitur impossibile id quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest. Hinc nobilis vir restitutionem differre potest, si eam facere nequeat quin artem mechanicam sibi insuetam exercent, etc...

2° Excusant in perpetuum : 1° remissio seu condonatio debiti ex parte creditoris ; 2° præscriptio debitis vestita conditionibus. *V. Comp. n. 715.*

R. ad 2^m Quæs. Negative per se, generatim loquendo, nisi urgeat gravis necessitas, et debitor promittat quamprimum restituere. Etenim qui restitutionem differt sine necessitate, injuste retinet id quod suum non est, et proinde contra justitiam peccat, etiamsi debitum non fuerit ex delicto contractum.

715. — *R. ad 3^m Quæs.* ANOLINUS revera maximis laborat difficultatibus, ad faciendam restitutionem. Ad illas autem attendere debuisset antequam pecuniam alienam surriperet, ut a damno inferendo averteretur. Sed nunc a restitutione non ideo excusandus est, ut bonum alienum retinere queat, siquidem nemini licet unquam ditescere ex re aliena injuste accepta.

Hinc 1° pro *furtis minoris momenti* restituat pauperibus aut causis piis, vel curet Missas celebrari pro iis quibus damnum intulit, si domini sint incogniti, vel adiri non possint sine notabili vel relativa difficultate.

2° Quod ad *furta præcipua* attinet, restituere satagat dominis cognitis, etiam cum gravi suo incommodo, quamvis expensas duplo majores damno facere deberet, ut supra dictum est, *n. 712.* — 2° Si domini sint incogniti vel si defuncti sint, et hæredes admodum multiplicati fuerint, quod facile evenit post longum temporis intervallum, vel si nimia adsit difficultas ipsis creditoribus restituendi, ANOLINUS in sinu pauperum debitum exstinguat. *S. Lig. n. 598. — Lugo, D. 20, n. 190, etc.*

CASUS X.

CAUSÆ EXCUSANTES A RESTITUTIONE 2°.

1° MAGLORIUS, gravatus debitis temporum calamitate contractis, nihil aliud habet præter sex millia fr., sibi et familiæ necessaria, præsertim ad alendum filium mente captum.

2° THYRSUS varia debita dubia solvere recusat, alia quia non est certus quod ipse vel pater ea contraxerit, alia vero, quia probabiliter pater vel ipse jam satisfecit.

HINC :

QUÆR. 1° *An MAGLORIUS ab onere restitutionis liberetur?*

2° *An THYRSUS excusetur a restitutione, sive in dubio de contracto debito, sive in dubio de solutione ab alio seu a se peracta?*

SOLUTIO :

716. — *R. ad 1^m Quæs.* MAGLORIUS facile a restitutione nunc faciendâ excusandus videtur. Sed in similibus casibus vix solutio certa et determinata in theoria dari potest; ideo ex circumstantiis est depromenda.

717. — *R. ad 2^m Quæs.* 1° THYRSUS potest tuta conscientia recusare solutionem debitorum dubiorum patris, præsertim si vir probus fuerit, donec illa debita certis argumentis probentur. *In dubio enim, vel in pari causa, melior est conditio possidentis.* Insuper, quot homines se fingerent defunctorum creditores, si solutionem reclamare possent quin debitum probare tenerentur. 2° Si THYRSUS non habeat memoriam debiti a se contracti, nec a reclamante probari queat, potest etiam abstinere a restitutione faciendâ, ob eandem rationem. 3° Quoad vero debita certo contracta et dubie soluta major est difficultas. In mero dubio THYRSUS ad solvendum tenetur, quia obligatio semel contracta certo adimplenda est, saltem nisi solida ratio suadeat peractam esse solutionem. Idem etiam tenendum si præsumptio THYRSO adversetur : v. g. si negligens sit in rebus suis ordinariis adnotandis, vel in debitis persolvendis. In cæteris casibus controvertitur. Alii dicunt eum teneri ad totum debitum solvendum, quia ad ipsum pertinet ut invigilet et certo restituat. *S. Lig. n. 700.* Alii probabiliter tenent restituendum esse *pro rata dubii.* Alii tandem debitorem eximunt ab omni restitutione faciendâ, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. Generatim recedendum est ab illa ultima sententia, quæ est paucorum; quia præsumptio ordinarie debitori adversatur, et is facilius propendit ad judicandum se restitutionem peregrisse. Excipe tamen casum particularem, in quo evidenter præsumptio vel multo major probabilitas debitori faveret : v. g. si sit probus et diligens in debitis solvendis, et imprimis, si ipse asserat se certo debitum solvisse, licet creditor adhuc reclamet. *Vide Comp. n. 721.*

CASUS XI.

PUERI ET RELIGIOSI.

Ratione restitutionis.

1° AGAPITUS, puer decem annorum, confessionem generalem ad S. Eucharistiam prima vice suscipiendam instituens, se accusat de variis furtulis in domo paterna commissis, qualia sunt ea quæ a pueris fieri solent, v. g. in esculentis, vel in aliis similibus. A Confessario autem obligatur, loco restitutionis, quam implere minime poterat, cum nihil prorsus haberet, ad veniam seu condonationem a parentibus postulandam, antequam absolutio- nem recipiat. Promisit AGAPITUS, se id præstiturum esse. Verum postea, metu cohibitus et irretitus propositum exsequi non ausus est. Quid inde?

Infelix puer absolutionem et S. Communionem, ut putavit, sacrilege suscepit, atque per multos annos in consuetudine sacrilegii perseveravit.

2° PETRONILLA, Monialis, cum religiosam paupertatem, nescio qua de causa, in re gravi ad communitatem pertinente violasset, culpam in confessione debite fatetur; sed cum damnum a se illatum compensare nequeat, urgetur, licet valde invita, ad hoc Superiorissæ patefaciendum, ut damni illius veniam et condonationem obtineat.

HINC :

QUÆR. 1° *An pueri obligari possint ad condonationem furtulorum domi patratorem a parentibus postulandam, deficiente alio restitutionis modo?*

2° *An Religiosi qui paupertatis votum infregerunt, res cœnobia deteriores faciendo, ad condonationem a Superiore petendam teneantur?*

3° *Quid de ratione agendi utriusque Confessarii?*

SOLUTIO :

718. — *R. ad 1^m Quærs. Neg.* Ratio est, quia pueri qui furta domestica fecerunt, sunt simpliciter ab onere restitutionis exempti, utpote impotentes, cum nihil habeant; impotentia enim præsertim physica a restitutione excusat. Ergo minime est necessaria parentum condonatio, quia condonatio est remissio debiti erga eum qui restituere debet; impotens autem nulla obligatione ligatur, siquidem *nemo ad impossibile tenetur*: ergo AGAPITUS puer adstringi non potuit a Confessario, ut a parentibus veniam pro furtulis a se commissis rogaret; imo, juxta *S. Lig. n. 700*, cum sententia *sat communi*, ut is ait, excusandi sunt a restitutione, licet eam peragere queant, ii qui præsumere possunt *rationabiliter* creditorem debitum remittere, seu illud remissurum esse, si rogaretur. Verum, nonne parentes respectu filiorum, præsertim juniorum, furtula libenter remittere censentur?

719. — *R. ad 2^m Quærs.* Idem prorsus dicendum est de Religiosis ac de pueris; siquidem eadem impotentia non solum morali sed etiam physica, laborant. Ergo PETRONILLA, æque ac AGAPITUS, nullam debuit compensationem facere pro damno a se communitati illato; ergo non potuit a Confessario urgeri, ratione *injustitiæ reparandæ*, ut a Superiorissa remissionem debiti rogaret.

720. — *R. ad 3^m Quærs.* Jam satis liquet, ex dictis, quid sit de utroque Confessario statuendum. Uterque enim scientia et prudentia necessaria caruit, imponendo obligationem, valde gravem ac difficilem, pro re prorsus indebita. Sed gravius est arguendus prior Confessarius, utpote majoris imprudentiæ reus. Destruenda igitur omnino est praxis quæ viget in quibusdam locis, hujusmodi obligationem imponendi pueris qui ad primam Communionem disponuntur. Lugenda enim experientia constat, hanc praxim causam esse sacrilegiorum bene multorum.

CASUS XII.

DEBITOR MUNDO VALEDICENS.

PATRICIUS, mercator, cum infelicem in commercio successum fuisset sortitus, nullum novit modum quo res suas in pristinum statum restituere, atque debita sua bene multa diluere valeat. Quid miser? Ecce! Ipsi in mentem venit mira excogitatio; modum invenit a tam infelici casu sese eripiendi. Quemnam? Accipe. Fallaci mundo simul et improbis creditoribus in æternum valedicens, religiosam paupertatem, omnibus thesauris potiozem, apud Capucinos amplectitur, per preces debitis satisfactorus.

HINC :

QUÆR. 1° *An gravatus debitis licite et valide Religionem ingredi et profiteri valeat?*

2° *An ingressus in Religionem reapse a debitis solvendis excusari possit?*

3° *Si Religiosus lucretur aliquid in Religione, an possit vel debeat hoc debitis solvendis applicare?*

4° *Si legatum ipsi obveniat, an possit vel debeat ex illo debitis satisfacere?*

SOLUTIO :

721. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° Quidquid sit de jure naturali, homo gravatus ingenti ære alieno, per dilapidationem contracto, prohibetur sub gravi Religionem ingredi. Attamen valide profitetur. *Sic ex Constit. Sixti V et Clementis VIII.* Non comprehenduntur in prohibitionem illi qui, absque gravi culpa, debita contraxerunt; quia lex loquitur tantum de dilapidatoribus, et de iis qui rationes reddere debent, scilicet rationes valde litigiosas, intricatas, et litibus causam daturas.

2° Neque gravatus debitis licite potest ingredi Religionem, saltem *probabiliter*, in aliis casibus, si in sæculo manens brevi tempore, v. g. intra annum aut biennium, secluso animæ periculo, industria et labore, debita sua aut magnam eorum partem facile soluturus esset. Secus vero, si diu expectare deberet, vel si absque notabili difficultate satisfacere non posset. *S. Lig. l. 4, n. 71.*

722. — *R. ad 2^m Quærs.* Ingressus in Religionem non liberat *per se* directe a deditis solvendis, sed indirecte: scilicet quatenus impedit licite, juxta modo dicta, media quibus debita solvi possunt. Etenim, exceptis casibus Jure canonico prohibitis, debitor licite ingreditur Religionem, saltem quando nequit facile et brevi tempore debitis satisfacere, ante ingressum: ergo eo ipso ab onere solvendi debita liberatur. Etenim lex naturalis non amplius urget quando debitor nequit satisfacere, nisi cum suo tanto detrimento libertatis, et cum periculo æternæ salutis in sæculo amittendæ. Debitor enim non tenetur cum tanto incommodo perfectiori statu Religionis privari. *S. Th. 2. 2. q. 89. — S. Lig. ibid.*

723. — *R. ad 3^m Quærs.* Debitor qui Religionem ingressus est, si facile

possit, laborare debet ad debita solvenda, et lucrum quod facit ad id applicare, si Superior permittat; quia, ut diximus, status religiosus non liberat *per se* a debitorum solutione, sed tantum facultatem solvendi impedit. Superior vero minime hanc licentiam concedere tenetur. *Elbel*, n. 345.

724. — *R. ad 4^m Quæ.* Non potest debita solvere ex legato sibi obveniente, si solemnem emisit Professionem: quia tunc est incapax domini, et ex Jure canonico legatum devolvitur ad monasterium per Religiosum; juxta regulam notissimam: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit*. Secus vero, si vota simplicia tantum emisit, quia in eo casu legatum reapse ei obvenit. *V. Comp. n. 718*.

CASUS XIII.

CESSIO BONORUM 1^o.

LAMPRIUS, mercator, ex infelici casu fit impar ad omnia debita solvenda. Collectis creditoribus proponit integram solutionem, si exspectare velint quinque annis, quibus conditionem suam restituere sperat. Creditores rem statim dirimi cum qualicumque jactura malunt. Consentientibus igitur omnibus, proponit solvere 60 pro 100, quod paucis post mensibus feliciter exsequitur. Plerique absolute et simpliciter subscripserant, plures tamen, subscribendo, subjecerant se integram repetere solutionem in casu quo status debitoris felicius evaserit. Re autem familiari LAMPRII in pristinum statum restituta, ipse nescit ad quid teneatur.

HINC:

QUÆR. 1^o *An bona cedens, a reliquis debitis solvendis, si postea dives evadat, eximatur?*

2^o *An LAMPRIUS debeat omnibus creditoribus integram debitum solvere?*

3^o *An possit filiabus dotem conditioni convenientem erogare, et filiorum educationem perficere?*

4^o *An uxor, quæ eleemosynas plurimas facere solebat, adhuc eodem modo facere valeat?*

SOLUTIO:

725. — *R. ad 1^m Quæ.* Nego: 1^o quoad cessionem *judiciariam*, quia illa cessio est tantum beneficium quod lex concedit debitori bonæ fidei et infelici, ut a coactione in foro externo immunis evadat. 2^o Imo nego etiam quoad cessionem *voluntariam per se*, seu seclusa remissione, sive expressa sive implicita; quia creditores, componendo cum debitore, non renuntiant proprio juri ad integram solutionem, si debitor postea solvere queat. *S. Lig. n. 699. — V. Comp. n. 719*.

R. ad 2^m Quæ. *Affirmative*. Sequitur ex dictis. Creditores enim, qui conditionem expresse non apposuerunt, eam implicite apposuisse censentur; siquidem paucissimi inveniuntur, qui reliquam partem debiti remittere velint. Attamen ad circumstantias attendendum est. Etenim si unus vel plures subscribentes apponant scripto conditionem de repetenda reli-

qua parte debiti, si debitor statum suum recuperet, et alii in eodem folio subscribentes hanc conditionem non ponant, censentur debitum integrum remittere.

726. — *R. ad 3^m Quæ.* *Affirmative* ad utrumque, si cessio non fuit fraudulenta; quia debitor, ad restituendum, non tenetur decidere notabiliter e sua conditione. *S. Lig. Hom. ap. n. 118*. Attamen LAMPRIUS debet excludere quidquid in expensis non est conditioni suæ et educationi filiorum absolute congruum.

R. ad 4^m Quæ. UXORI LAMPRII non sunt quidem interdicendæ omnes eleemosynæ, quod durissimum foret, et pro conditione sua incongruum; sed eas multum imminuere debet. Sunt enim prius solvenda debita, quam elargiendæ eleemosynæ.

CASUS XIV.

CESSIO BONORUM 2^o.

OLIBRIUS, ære alieno gravatus, jam est solvendis debitis omnino impar; adeoque ad bonorum omnium cessionem faciendam cogitur. Infelix autem homo, ut jamjam instanti miseræ subveniat, sibi, uxori et numerosæ proli consulat, tacitus quamdam pecuniæ summam sedulo seponit et abscondit. — Alias omittit declarare quoddam debitum secretissimum, sibi a TITIO solvendum, monetque debitorem ut rem sub altissimo silentio teneat. Quod promittit et tenet TITUS. Alias cum nuperrime prædiolum vendiderit, fingit se acceptum pretium ad miseriam sublevandam ocuis impendisse, licet nullum adhuc pretium acceperit; imo supradictum prædiolum vendere festinaverat, antequam bona cederet, ne illud in prædam creditorum deveniret.

HINC:

QUÆR. 1^o *An cedens bona aliquid secreto servare possit?*

2^o *An debitor erga bona cedentem ipsimet solvere possit, aut creditoribus illius debitum tribuere debeat?*

3^o *An sit valida vel licita venditio facta ante cessionem?*

4^o *Quid de OLIBRIO? An teneantur ad restitutionem?*

SOLUTIO:

727. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Certo peccat contra justitiam cedens bona, si res magni valoris occultet, quia damnum creditoribus infert. 2^o Excusandus tamen est ab injustitia, si inopia pressus bona quædam servet, quibus sustentetur cum familia, saltem donec per judicem provisum fuerit. Post factum autem, non inquietandi sunt illi qui res vere sibi necessarias modici valoris retinuerint. Verum bona cedentes quam maxime a periculo hallucinationis cavere debent. *S. Lig. n. 699. — V. Comp. n. 700 et 719*.

728. — *R. ad 2^m Quæ.* Debitor bona cedentis, cessione facta, fit debitor ipsorum creditorum illius cedentis bona; hic enim non est amplius dominus bonorum quæ semel cessit, siquidem dominium in suos creditores transtulit: ergo debitor cedentis bona non huic, sed ejus creditoribus debitum tribuere debet. Excipe, nisi forte agatur de re minimi momenti, et infelix qui bona cedit magna inopia pressus videatur. *V. Comp. n. 700*.

R. ad 3^m Quæst. 1^o Venditio est valida, nisi lex eam in aliquo casu irri-
tet, ut irritantur ex Jure Gallico contractus qui fiunt intra decem dies
qui cessionem præcedunt. 2^o Illicita vero est quoties est fraudulenta, seu
quando bona venduntur cum prævisione proximæ cessionis, ut creditori-
bus subtrahantur.

729. — *R. ad 4^m Quæst.* Seu, quid de OLIBRIO in triplici casu? *In primo*
et secundo casu non est inquietandus, si pecunia quam seposuit, vel ser-
vavit, sit ipsi vere *necessaria* ad suam miseriam sublevandam. Sequitur
ex dictis in responsione *ad 1^m Quæsitum.* — *In tertio casu*, tum OLIBRIUS,
tum ejus debitor, peccat contra justitiam fraudulenter prædium vendendo
cum creditorum detrimento. Igitur, si pretium agri adhuc habeat, credito-
ribus illud restituere debet. *V. Comp. n. 719-788.*

CASUS XV.

DEBITORES ANGUSTIIS PRESSI.

1^o MAURUS, antequam cessionem bonorum publice faciat, BERTÆ filiæ
suæ 200 fr. elargitur, titulo donationis vel remunerationis, ob officia ab
ea sibi præstita.

2^o ROMANUS, iisdem pressus angustiis; bona sua fere omnia filiis suis
vendit, sicque ea e creditorum manibus eripit et in sua familia servat.

3^o ADRIANUS, debitis solvendis impar, postulat et obtinet juridicam
bonorum separationem ipsum inter et uxorem, ne utriusque bona, quæ
communis sunt, in creditorum prædam deveniant.

HINC :

QUÆR. 1^o *An MAURUS contra justitiam peccaverit?*

2^o *An ROMANUS ab injustitiæ labe immunis sit?*

3^o *Quid de ADRIANO statuendum?*

SOLUTIO :

730. — *R. ad 1^m Quæst.* MAURUS *per se* peccavit contra justitiam erga
creditores, 200 fr. filiæ gratuito erogando. Ille enim qui debita sua sol-
vere nequit, donationes elargiri non debet. Dixi *per se*, quia excipi forte
posset casus in quo, magna inopia pressus, id faceret ut a filia inde suble-
varetur; vel si hanc pecuniam filiæ dedisset non gratuito, sed in remune-
rationem ante officia præstita promissam. Sed illæ exceptiones in casu
nostro comprehendi non videntur.

731. — *R. ad 2^m Quæst.* ROMANUS de gravi injustitia *per se* damnandas
est, quia hæc agendi ratio est omnino iniqua et fraudulenta, ut nemo non
videt. Attamen in aliquo casu excusari potest, v. g. si filiis bona sua
vendendo, et ea in familia servando, intenderet pretium creditoribus tri-
buere, vel si ea vendat ut majus pretium obtineat, et sic creditoribus
faveat, nedum ipsis noceat.

R. ad 3^m Quæst. ADRIANUS non videtur inquietandus *per se*; uxor enim
jus habet juridice petendi bonorum separationem, modo id absque *fraude*
fiat, nec uxor injustitiis mariti cooperata fuerit, v. g. in debitis injuste
vel prodigaliter contrahendis.

CASUS

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

SEU

*De restitutione pro homicidio, pro stupro et adulterio, pro defrauda-
tione in tributis, et pro damno occasione militiæ.*

CASUS I.

RESTITUTIO PRO HOMICIDIO 1^o.

HIRCINUS, inimicus BERALDI, ei vitam eripere decrevit, cum impune
hoc pravi animi consilium exsequi posset. Paulo post accidit, ut inter
BERALDUM et RUFUM grave exoriretur dissidium. RUFUS ira excandescens,
pluribus audientibus, se interfectorum BERALDUM jurat. His cognitis, HIR-
CINUS judicat propitiam occasionem sibi offerri, iram in BERALDUM absque
ullo sui periculo explendi: prævidet enim hujus mortem RUFUS imputan-
dam esse, quippe qui, ob alia crimina, vulgo scelestus habetur. Itaque,
spe impunitatis fretus, sequenti nocte BERALDUM domum revertentem
clam occidit. Die sequenti, morte BERALDI vulgata, RUFUS criminis
reus vulgo putatur: quare a satellitibus comprehensus, et in judicium
adductus, tum testimonio eorum qui eum mortem BERALDI juramento
promittentem audierant, tum aliis indiciis, capite damnatur ac plectitur.
Hinc RUFUS uxor et teneræ adhuc ætatis filii, qui omnes ejus labore victita-
bant, ad egestatem redacti sunt.

HINC :

QUÆR. 1^o *An mors RUFUS, præter BERALDI necem, sit HIRCINO impu-
tanda?*

2^o *An ad aliquid teneatur erga familiam RUFUS et familiam
BERALDI, si detrimentum ex ejus morte patiantur, licet
in egestate non versentur?*

3^o *An ad aliquid teneatur erga alios cognatos, præter uxorem
et filios et parentes?*

SOLUTIO :

732. — *R. ad 1^m Quæst.* HIRCINO minime parcendum. Etenim, præter
BERALDI homicidium, etiam RUFUS mors ipsi imputanda est. Ratio est, quia
cædes BERALDI, in istis circumstantiis patrata, gravissimam suspicionem
in RUFUM *per se* injicit, ita ut ejus damnationis causa moralis fieret.
V. Vogler, n. 174, ubi similem habet casum, et eodem modo solvit.

Dices: Prævisio damni non sufficit, juxta multos, ut prævidenti dam-
num sit imputabile, si ipse per suam actionem non sit ejus causa efficax.
Porro in præsentis casu HIRCINUS est tantum occasio, et non causa dam-